



U. g. 17, 12



12





Q. D. B. V.

25

DISSERTATIONIS THEORETICO-PRACTICÆ  
De

NOTIONIS:  
FORMALITER  
QUINDECIM RECEPTIS AC  
FREQUENTIBUS SIGNIFICATIO-  
NIBUS,

EARUMQUE USU INPRIMIS IN DISCIPLI-  
NIS PRACTICIS,

PARS PRIOR.

Quam

IN ACADEMIA JENENSI

PRÆSIDE

VALENTINO *Wetthem* / P.P.

*publico eruditorum examini sistit*

JOHANNES GEORGIUS *Röder* /

SCHLEUSINGA-HENNEBERGICUS,

Philosophiæ Candidatus,

AUTOR RESPONDENS.

*In Acroaterio Philosophorum*

*Ad d. Martii A. O. R. MDC LXXIX.*

---

J E N Æ,  
TYPIS SAMUELIS KREBSII.

D I S S E R T A T I O N I S T H E O R E T I C O P R A C T I C A E

N O T I O N I S :

F O R M A L I T E R

Q U I N D E C I M R E C E P T I S A C  
P R E O V E N T I B U S S I M I L I T A T I O

E A R L I M O V E U S U I N P R A C T I C A

P A R T I S P R I M A E

I N N O M I N E A C A D E M I A E

V A L E N T I N O S I M O N I P.

J O H A N N E S G R O R G I U S S C H L E S I N G I U S

S C H L E S I N G I U S

A U T O R

I N P R A C T I C A

I N P R A C T I C A

Phi  
mo  
care  
cept  
qv  
Dn.  
diff  
mat  
tio, q  
qvide  
mis g  
fi Vir  
me &  
cujus  
ficati  
prac  
opti  
Qva  
evad





## PROOEMIUM.



Sum notionis & *Formaliter* in omni Philosophiæ ac Theologiæ studio frequentissimum esse, neminem vel leviter in illis versatum latere potest: Ejus vero acceptiones numero plures ac saltem non innumeras esse, inter omnes qui accuratiorem Philosophiam rimantur, constat, ut adeo singulas solummodo recensere, nedum rudi, quod ajunt, Minerva explicare, haud exiguus labor futurus sit. Quapropter ut incepto desisterem animumque mutarem, materiæ sublimitas quin efficeret, parum abfuit, & sane effecisset, nisi *Excell. Dn. Præsidis* posita hac in parte industria viam paratam vidissem, eaque incitatus essem. Intricatissimam igitur hanc materiam extricare, enodare, viresque ingenii, quod sentio, quam sit exiguum, explorare tandem constitui: Onus quidem meis adhuc dum inexpertis ac juvenilibus annis nimis grave videtur, subque eo forsitan succumberem, nisi Viri antea laudati, quem observare, colere, revereri maxime & imprimis debeo, manu ductione fulcirer, utpote ex cujus variis Collegiis M S C. Metaphysicis varias hasce significationes ( omnes enim huc conjicere animus non est, præcipuas saltem & usu frequentiores tangere volumus ) optima tamen ejusdem pace eruere mihi integrum fuit. Quare quo magis intricata res est; eo planior feliciorque ut evadat tractatio, placet eam certis titulis includere.

*Esto itaque DEO propitio*

A

TITU-

TITULUS I.  
DE NOTIONE & FORMALITER,

prout idem notat quod  
Secundum rei existentiam aut veritatem.

Adferuntur 1. Exempla Philosophica usu trita 2. Exemplum Theologicum, quo amplissimus usus hujus notionis in Theologia omnibusque disciplinis practicis ac facultatibus indicatur 3. Aliud exemplum Theologicum, quo nobilis usus Metaphysices in Theologia monstratur 4. Laus & commendatio studii Metaphysici 5. Significatio opposita notionis ejusdemque exempla vulgaria 6. Synonymia opposita significationis 7. Exemplum Theologicum 8. Aliud egregii usus 9. Exempla practica varia 10. Insignia exempla Theologica 11. Juridica, Medica, Moralia Politica. 12. Differitur de notionis hujus usu & abusu.

**E**xempla ubivis occurrunt: Ita omnium consensu ignis formaliter est calidus, quia nemine cogitante vere & realiter calor convenit igni: E contrario ad quaestionem: Num Sol formaliter sit calidus? illi qui Aristotelem sequuntur, negativam amplectuntur ac respondent: Solem formaliter non esse calidum, & hocce suo responso hoc volunt: quod calor, qui est qualitas elementaris congregans homogena & segregans heterogena, revera non existat in Sole, nec in rei veritate Soli competat; hac nixi ratione, quod Aristoteles caelum ac caelestia corpora, & sic quoque Solem, habuerit pro corporibus simplicibus ac quinta essentia, ita ut, quae est Aristotelis Philosophia, nihil de elementis & elementaribus qualitatibus participant. Adesse volumus aliud exemplum: Si quaeras: Num perfectiones physicae creaturarum sint in Deo? Scholastici recte respondent, perfectiones physicas creaturarum, h. e. quae formaliter in creaturis sunt, formaliter non esse, nec esse posse in Deo, quia ut sunt perfectiones physicae creaturarum, sunt perfectiones creatae, Deus vero nihil creatum, imo nihil plane in se recipere potest, cum sit actus purus, ut Scholae loquuntur, adeoque omnis potentiae passivae penitus expers. Nam si DEUS aliquid reciperet, aut reciperet ut perfectionem, & sic non esset infinitae perfectionis, quia posset aliam adhuc recipere perfectionem: aut reciperet ut imperfectionem, sicque in DEO aliqua daretur imperfectio: Utrumque absurdum est & impium. Igitur dici nequit perfectionem physicam creatam formaliter esse in DEO, quia oporteret eam in DEO fuisse receptam, quod simpliciter est impossibile.

Exemplo



Exemplo uno vel altero Theologico hancce primam notio-  
nem reddemus illustriorem: Quæstio in *Theologia* ventilari solet,  
quæ etiam in omnibus aliis disciplinis practicis moveri, mutatis sc.  
mutandis, poterat: numne *Theologia* habitus sit mere practicus  
eiqve respondens disciplina mere practica? Negativam defendere  
conati sunt plurimi, nixi hoc fundamento, quod in *Theologia* pluri-  
mæ propositiones dentur, quæ plane non sint practicæ, quales sunt  
quibus explicantur & confirmantur tot mysteria, ut sunt: SS. Tri-  
nitatis, incarnationis Filii DEI &c. Huic objectioni optime quis  
satisfacere poterit, si accuratiores Doctores secutus respondeat propo-  
sitionem in *Theologia* occurrentem aliam esse *formaliter* practicam,  
aliam *eminenter seu virtualiter* practicam, atqve adeo nullam propo-  
sitionem ad *Theologicam* disciplinam per se spectare, nisi sit practica,  
si non *formaliter*; tamen *virtualiter*, quæ de re mox plura dicentur.

Ita *Pontificii & orthodoxi Theologi* inter se controvertunt: Num  
quis fide catholica ac justificante possit credere sibi peccata esse remis-  
sa? Illis negativam tuentibus, Nostratibus contrariam & orthodoxam  
sententiam tenentibus ac defendentibus. Inter alia argumenta *Becanus*  
cum in suo *Manuali*, tum etiam *Theologia Scholastica*, contra nostrates  
*Theologos* etiã hoc urget: Nihil fide Catholica & justificante creden-  
dum est, nisi quod Deus revelavit. Sed Deus non revelavit huic aut illi,  
quod peccata ipsi sint remissa. Ergo nemo potest hoc fide Catholica &  
justificante credere. Major, inquit citatus *Jesuita*, certa est, quia  
adæquatum fidei objectum est veritas a DEO revelata. Ergo actus,  
qui non versatur circa illud objectum aut aliquam ejus partem, non  
potest esse actus fidei. Minor, ait, æqve certa est, quia hodie nemi-  
ni revelatur a DEO peccata sibi esse remissa. Ad hoc argumen-  
tum dum respondent nostrates *Theologi*, iterum egregie commen-  
dant usum recte intellectæ & ex Metaphysicis feliciter perceptæ no-  
tionis *vs formaliter*, itemqve distinctionis, inter id quod *virtua-  
liter* tale dicitur, & inter id quod *formaliter* tale est ac dici debet.  
Scilicet distinguunt *Theologi orthodoxi* inter revelationem *formalem*  
ac *formaliter* revelatum & inter revelationem *virtualem* ac *virtualiter* re-  
velatū. Si argumentū *Becani* saltem de *formaliter* revelato intelligatur,  
minorem concedunt, sed majorem negant ac pernegant: Quod si de  
utriuslibet modi revelatione major totumqve argumentum *Becani*  
accipiatur, majorem admittunt nostrates *Theologi*, sed minorem di-  
cunt esse falsissimam.

Hæc adferimus, non ut falcem in alienam messem immittamus, sed ut doceamus, eum felicius posse metere fructus informationis Theologicæ, qui de idoneis eruditionis Metaphysicæ adminiculis sibi probe prospexerit.

Huic primæ & *formaliter* significationi, ceu ex antea positis exemplis patet, opponitur notio & *eminenter*: Illud vero *eminenter* in altero esse aut alteri competere dicitur quod in altero secundum rei veritatem non est, nec fortassis esse potest, ut tamē alteri insit nobilius aut eminentius quid, nempe nobilis aut eminens vis illud ipsum (quod sc. id propter *eminenter* inesse dicitur) producendi. Exempli gratia, quando Philosophi qui Solē formaliter calidum esse negaverant, statuunt Solem esse calidum *eminenter*; hoc volunt, quod in ipso Sole non insit quidē ipse calor, sit tamen in Sole eminentior quædam vis seu virtus, qua calorem, quem in se non habet, in rebus inferioris naturæ producere possit. Hinc disquiritur in Peripateticorum Scholis, quomodo Sol calorem producere queat, si non sit calidus? Nec pauci censent, calorem non solummodo procedere ab igne, sed etiam ex motu oriri; id quod inter alia plura credunt per hanc etiam experientiam doceri posse, quia globulus trajectus, si mox post displosionem bombardæ tangatur, calidus deprehenditur. Ita nunquam *Scholastici* negare ausi sunt, creatas perfectiones quæ tales in DEO esse *virtualiter* seu *eminenter*, h. e. esse in DEO infinitam virtutem creandi tales perfectiones.

Adverbiis: *eminenter* & *virtualiter*, sæpissime *Philosophi* pro synonymis utuntur, ita ut *virtualiter* idem significet, quod modo significavimus adverbio *eminenter*.

Assumamus iterum quæstionem modo allatam de Theologia, num omnes actus, quibus acquiritur habitus Theologiæ, sint practici, item num omnes propositiones ad disciplinam, quæ Theologiæ effectus est, per se spectantes, sint practicæ? Negari hoc diximus ab omnibus accuratioribus Theologis, si sermo sit de eo, quod formaliter practicum audit, qui tamen omnes affirmant, quod nullus actus per se ad Theologiæ acquisitionem faciat, nisi sit, si non *formaliter*, tamen *virtualiter* practico, quodque nulla propositio ad Theologicam disciplinam per se spectet, nisi practica sit, si non *formaliter*, tamen *virtualiter*. Rudi exemplo res percipi potest: Nempe sicut Sol non dicebatur *formaliter* calidus, tamen potens efficere calorem; sic multæ propositiones in Theologia *formaliter* non sunt practicæ, possunt tamen

men efficere practicas propositiones, si sc. aliis propositionibus formaliter practicis jungantur, atque præmissæ fiant in syllogismis Theologicis.

Adesto exemplum. Ita hæc propositio: Omnis vere credens in Christum est merito Christi redemptus a potestate peccati, mortis, diaboli & inferni, non est propositio *formaliter* practica. Ratio est; quia hæc propositio nihil dicitur committendum aut omitendum esse, adeoque nullam per se dirigit praxin: manet interim virtualiter practica, id quod inde conspici debet, quia si eam jungamus propositioni *formaliter* practicæ, inde oritur tertia propositio seu conclusio, & quidem conclusio *formaliter* practica. Faciamus hujus rei periculum: Cujuscunque merito quis redemptus est a potestate peccati, mortis, diaboli & inferni, eum ipse debet super omnia diligere. Omnis in Christum credens est redemptus Christi merito a potestate peccati, mortis, diaboli & inferni. Ergo omnis credens in Christum debet Christum super omnia diligere. En propositionem *formaliter* practicam ex propositione, quæ erat non *formaliter* practicæ propositioni junctæ, illatam, & sufficit ad minorem propositionem, eam *virtualiter* practicam a Theologis dici.

Talismi certe propositiones virtualiter practicæ non in Theologia modo, sed etiam in omni disciplina practica ac Juris cujusvis doctrina frequentissime occurrunt ac ab omnibus talium disciplinarum cultoribus quæri debent, si velint suis studiis rite consulere.

Nobilis alias & profecto summe necessaria quæstio est, unde nempe certo constare possit propositionem aliquam esse fidei salvificæ? & sane non modo fidei salvificæ sunt propositiones quæ *formaliter* in Scripturis S. extant ac revelatæ sunt, sed etiã quæ virtualiter revelatæ sunt. Sæpe propositio in Scriptura S. non extat, extant vero aliæ propositiones in Scriptura S. quæ præmissæ fiunt, ex quibus ea propositio quæ non extat, rectissime infertur: Sæpe alterutra præmissarum solummodo extat in Scriptura S. non tamen utraq; nec conclusio: Et licet sæpe solummodo minor extet, si tamen major, quæ in sacro codice non invenitur, sit simpliciter absolutæ necessitatis ac in omni genere vera, adhuc dicitur salva veritate ac omnino dici debet, quod conclusio *virtualiter* in Scriptura S. habeatur. Pariter fit non raro, ut major propositio eaque sola *formaliter* sit in Scriptura S. ut tamen de subsumptione quis certif-

certissimus esse possit, utut subsumtio *formaliter* in Sacris non extet, sic adhuc conclusio virtualiter dicitur existere in Scriptura Sacra. Imo fit etiam, ut neutra præmissarum sit in Scriptura Sacra, nec conclusio in ea sit, conclusio tamen adhuc sit Scripturæ Sacræ una cum præmissis, quia nempe in Scriptura Sacra propositiones erant, ex quibus utraqve præmissarum, quæ expresse in Sacro codice non extant, inferri potuerant debuerantve. Ita e. gr. si vel maxime hæc propositio: Spiritus Sanctus est verus DEUS, formaliter & expresse non extaret in Scriptura Sacra, satis tamen esset ad hoc, ut dicatur propositio Scripturæ Sacræ, quod præmissæ, ex quibus hæc propositio rectissime infertur ac concluditur, sint in Scriptura Sacra revelatæ: Ita *Act. V. 3. & 4.* junctim reperiuntur ambæ præmissæ, & minor quidem, quando Petrus dicit: Ananiam mentitum esse Spiritui Sancto: major vero, quando Petrus asserit: Ananiam non esse mentitum hominibus, sed DEO. Totum namque argumentum, orthodoxis Theologis unanimi consensu sic judicantibus, firmissime concludit, si utraqve præmissarum intelligatur de eo, cui præcipue mentitus est Ananias. Argumentum in forma sic se habet: Cuicumque præter Apostolos mentitus est Ananias, is est verus DEUS. Atqui Spiritui Sancto præter Apostolos mentitus est Ananias. Ergo Spiritus Sanctus est verus Deus. Major patet ex v. 4. Minor ex v. 3. ejusdem loci. Sic quoque ex diversis Scripturæ locis accersunt præmissas Venerandi Theologi: e. gr. Minor habetur *Ebr. IV, 7. & seqq.* Major *Psal. XC V, 8.* indeque iterum argumentum provenit, in forma syllogistica sic se habens: Quicumque Israelitæ tentarunt in deserto, probaverunt, viderunt opera ejus, ipseque iis infensus fuit, is est verus DEUS. Atqui Spiritum Sanctum Israelitæ tentarunt in deserto, probaverunt &c. Ergo Spiritus Sanctus est verus DEUS. Porro liceat adferre exempla ejusmodi, ubi minor est Scripturæ Sacræ, major extrinsecus assumitur, conclusio tamen manet Scripturæ Sacræ propria. Audiamus maxime Venerandum Dn. D. Johannem Museum in tractatu *de usu principiorum rationis & Philosophiæ in controversiis Theologicis contra Nicolaum Vedelium* sic differentem: *Ex disputationibus, quas ut longis abhinc temporibus ita non minus nostra ætate Ecclesiæ Dd. contra heterodoxos ediderunt, satis constat, quod ad illationem conclusionis Theologicæ quandoque unam tantum propositionem ex Scriptura, & alteram ex ratione desumserint: v. gr. Scri-*  
*ptura*

ptura Sacra cum Deum Patrem ab æterno filium genuisse; Christum  
verum Dei filium; Deum & hominem esse docet, tria supeditat prin-  
cipia, ex quibus Theologi tria extruunt argumenta, ita ut cum uno-  
quoque aliud ex ratione desumptum conjungant, & nihilominus CON-  
CLUSIONEM THEOLOGICAM inferant. Ex primo quidem  
contra Sabellianos ita inferunt: Quorum unus est gignens & alter  
genitus, illi differunt realiter. Atqui Pater & Filius in divinis sunt  
gignens & genitus. Ergo Pater & Filius in divinis differunt realiter.  
Ex secundo adversus Arianos h. m. Verus filius est ejusdem essentiæ  
cum Patre suo. Christus est verus Dei Filius. Ergo Christus est ejusdem  
essentiæ cum Patre suo. Ex tertio contra Monophysitas ita: In qua  
persona est una natura & iterum una alia a priore distincta, in ea duæ  
naturæ sunt. In persona quæ est Christus, est una natura nempe divi-  
na (quia est verus Deus) & iterum una alia a priore distincta nempe  
humana (quia itidem verus homo est) Ergo in persona quæ est Chri-  
stus duæ sunt naturæ. Habentur ea lib. II. c. XI. §. 2. & 3. p. 419. &  
420. ubi pluribus consulatur. Apparet interim luculentissime ex mo-  
do allatis, quod conclusio Theologica detur, licet major sit extrinse-  
cus assumpta, modo minor sit Theologica, & major, uti supra dictum  
est, sit simpliciter ac summe necessaria, adeo ut ne quidem per DEI  
potentiam aliter se habere possit, cujusmodi propositiones summe ne-  
cessariæ & evidentes erant modo allatæ: Quorum unus est gignens, &  
alter genitus, illi differunt realiter. Verus filius est ejusdem essentiæ  
cum Patre suo. In qua persona est una natura & iterum una alia a  
priore distincta, in ea duæ naturæ sunt. Non vero est, cur e longin-  
quo petamus rationem, quam laudatissimus Vir ejusdem capituli §. 9.  
subjungit eandemque solidissimam: Ratio est, quia unio medii cum  
uno extremo & unio extremorum inter se unionem medii cum altero ex-  
tremo VIRTUALITER & quidem vi formæ syllogisticæ includunt:  
si enim antecedente inter medium & unum e. gr. minus extremum;  
nec non in consequente inter utrumque extremum est identitas, neces-  
sarium est vi formæ ut inter medium etiam & alterum e. gr. majus ex-  
tremum identitas sit; vel si in antecedente inter medium & unum v. g.  
minus extremum sit quidem identitas, sed in consequente inter utrumque  
extremum divisio, necesse est, ut etiam inter medium & alterum e. g.  
majus extremum divisio sit &c. Ex adverso, quando major propo-  
sio, quæ extrinsecus assumitur, non est summe & absolute necessaria,  
sed

sed tantum physice, aut in certo rerum genere, aut tantum est probabilis, tum id, quod infertur, negant orthodoxi Theologi esse fidei divinæ, quia non per necessariam & evidentem consequentiam colligitur. Ita male concludunt Photiniani: Quicumque unam habet essentiam, unam quoque habet subsistentiam. Atqui Deus unam habet essentiam. Ergo Deus unam quoque habet subsistentiam. Major enim propositio est tantum necessaria in genere essentiarum finitarum: At quod repugnat essentiæ finitæ, id bene potest convenire essentiæ Dei infinitæ: Sicut quod repugnat potentiæ finitæ, potest convenire potentiæ Dei infinitæ. Sic vidimus exempla conclusionū Scripturæ, item Theologicarum, ad quas ut tales essent, sufficiebat, modo minores propositiones existerent in S. codice & essent Theologicæ. Porro non raro major propositio saltem in Scriptura S. expresse revelata est, minor extrinsecus assumpta. E.g. hæc propositio major est expresse in Scriptura sacra revelata: Quicumque credit in Christum, ei peccata sunt remissa. Extat hæc propositio *Act. XIII, 38. & 39. it. c. X. 43. it. Rom. III, 22.* Jam quilibet vere credens in Christum facit subsuntionem seu minorem propositionem h. m. Ego credo in Christum. Et quia hæc subsuntio est vera ac certa, ideo stat conclusio, quam vere credens in Christum sic format: Ergo mihi peccata sunt remissa. Subsuntio in Scriptura Sacra, FORMALITER revelata non est, adest tamen revelatio VIRTUALIS. Id quod Venerandi Theologi ex pluribus Scripturæ Sacræ locis nos docent, liceat unum optima eorum pace huc transcribere: *Rom. II X, 15. & 16.* dicitur: *per Spiritum adoptionis clamamus Abba Pater, idem Spiritus testatur una cum Spiritu nostro quod simus filii DEI.* In quocumque testatur Spiritus Sanctus & Spiritus ei inhærens, hoc est, gratia Spiritus Sancti inhærens ei, quod sit filius Dei, ei testatur etiam Spiritus, quod sibi peccata sint remissa, & dum habet Spiritum per quem ad Deum Patrem clamare potest Abba Pater, etiam certus est sibi peccata esse remissa propter eundem adoptionis Spiritum. Atqui cuilibet vere credenti in Christum testatur Spiritus Sanctus &c. Ergo. Minor est ipsius Scripturæ Sacræ. Major vero, ut Theologi orthodoxi nos docent, est evidens, quia filium Dei esse præsupponit peccatorum remissionem, cum nemo possit esse filius Dei, nec cum vera fide vocare Deum Patrem suum, nisi peccata ipsi sint remissa, & nemo credere queat se esse filium Dei, nisi etiam credat peccata sibi esse remissa. Et hoc est quod supra

pra adferebatur ex Venerandorum Theologorum scriptis, fidem salvificam non solum habere pro objecto FORMALEM revelationem, atque id quod FORMALITER revelatum est, sed etiam revelationem VIRTUALIEM atque id quod est VIRTUALITER revelatum: FORMALITER revelatum pro objecto immediato, VIRTUALITER revelatum pro objecto mediato. Vix vero opus est, ut exempla adferamus conclusionum Theologicarum, quarum ne præmissæ quidem FORMALITER extant in Scriptura Sacra, continentur tamen in ea præmissæ aliæ, ex quibus hæ præmissæ ut conclusiones inferuntur, cum talia exempla invenire facillimi laboris sit, nec paginæ aliis materiis dicatæ angustia eadem capiat. Remittimus cupidum benevolumque lectorem ad egregiam ac utilissimam *dissertationem Theologicam de questione: Num citra specialem DEI revelationem Christianus ex verbo Dei possit de aeterna sua salute certus esse?* habitam superiori anno sub maxime Venerandi Dn. D. Fridemanni Bechmanni præsidio, ex cuius *sectione quinta* facile erit ea petere, utpote quæ tota dissertatio illustri simul exemplo usum præsentis notionis *FORMALITER* declarat, ut vel ex *sectionis primæ §. 10.* luculentissime videre est.

Illud adhuc monendum habemus, quod quæcunque hactenus de usu præsentis notionis eiqve oppositæ significationis in Theologiæ studio ac Scripturæ Sacræ erudita lectione prolixiuscule disseruimus, ea etiam futuri *Juris Civilis* cultores æque utiliter sibi capere possint, lima iudicii adhibita. Nam ut in *Scriptura Sacra*, sic etiam in *Juris Romani libris* seu vulgo sic dicto *Corpore Juris* omnino multa sunt, quæ ibi formaliter non extant, ut tamen *virtualiter* inde deduci debeant, & utiqve æque juris esse civilis habeantur, ac si *formaliter* in ipso corpore extitissent. Idem iudicium esto de omnibus doctrinis, disciplinis, doctorum virorum scriptis. Quam sæpe dicimus: Hæc omnino manet mens hujus vel istius Doctoris, hæc voluit, hæc pro veris venditavit, & ita salva veritate pronunciat, ut ut sæpe numero *formaliter* ea non habeantur in ipso Autore, nec *formaliter* ab eo proposita fuerint.

Sane omnium *facultatum* ac disciplinarum cultoribus ac Doctoribus solenne & perpetuum est ac esse debet, distingvere inter principia & conclusiones, nec apparet, quomodo officium Doctoris explere, eoqve vel in cathedra vel in suggestu rite fungi possint, nisi inter propositiones quæ *formaliter* in textu aliorumque scriptis extant, & quæ *virtualiter* in iis continentur, apprime sciant distingvere, hasque illis jun-

B

gere.



gere. Interim magnus sæpe advertitur abusus, dum nunc *virtualiter* contineri dicuntur, quæ per nullam; aut sequi inde necessario censentur, quæ vix per probabilem consequentiam inferri poterant. Nunc omnino continentur *virtualiter* ejusmodi conclusiones, quas ibidem contineri alii contra proprium conscientiæ testimonium vel etiam sine iudicio negaverant. Utrumque certe vitium est eo magis detestandum, quo gravioribus erroribus magisque acerbis controversiis causam dare potest.

TITULUS II.  
**DE NOTIONE & FORMALITER,**  
prout importat  
**Totam Rationem Formalem.**

Ostenditur 1. quid sit ratio formalis 2. genuina explicatio distinctionis inter conceptum formalem & objectivum, item quid sit conceptus formalis 3. quid sit conceptus objectivus 4. cur dicatur conceptus objectivus 5. quid sint notio, intentio 6. quod ratio formalis sit conceptus non formalis sed objectivus 7. sufficiens numerus essentialium requisitorum conceptus objectivi primi, quove sensu ratio formalis dicatur conceptus primus objectivus 8. Distinctio inter conceptum primum totalem seu adequatum & partialem seu inadequatum, item quod ratio formalis absolute sic dicta sit conceptus primus adequatus 9. discrimen rationis formalis ab essentia, item rei ab ente 10. verum utriusque discriminis fundamentum, discrimen inter reale & ens reale 11. arctior significatio rationis formalis 12. quod conceptus rei primus inadequatus, non tamen quilibet, itidem ratio formalis dici possit 13. distinctio conceptus primi inadequati in reciprocum & non reciprocum, & quod non hic sed iste rationis formalis denominationem subeat 14. quomodo differant inter se: esse ipsam rationem formalem, esse de ratione formali, & esse pertinens ad rationem formalem 15. quid quidditas, natura, forma 16. genuinus usus notionis & formaliter, prout hoc titulo explicatur 17. abusus 18. Cui usui sit tota hujus tituli explicatio in Theologia, Jurisprudencia, Moraliumque studiis 19. quantum momenti adferat ad solidam quamvis doctrinam, nosse modum recte & accurate respondendi ad questionem: quid formaliter sit hoc vel illud? 20. quamvis facillimum sit istud perspicere ex utilissimis exemplis Theologicis, Juridicis, Moralibus & Politicis 21. Oppositum notionis.

**U**T facilius feliciusque percipiatur hæc secunda notionis & formaliter acceptio, præmittendum venit, quid sit **RATIO FORMALIS**? Communiter dici solet **PRIMUS CONCEPTUS REI**: quæ formula *Scholasticæ Philosophiæ* natales suos debet, eaque recte percepta admitti potest, maxime quia usus continuus eam probat. Igitur paulo uberius eandem expendemus.

Cur



Cur primo *ratio formalis in Scholis* vocetur **CONCEPTUS**, explicatu facile est. Placuit nempe *Scholasticis Doctores* distingvere inter *conceptum formalem* & *conceptum objectivum*: *Conceptum formalem* dixerunt cognitionem, quæ fit per intellectum. Dum enim mediante intellectu nostro aliquid cognoscimus, dicimur illud concipere, dicitur etiam intellectus illud concipere, atque adeo ipsa cognitio rei vocatur *conceptus* rei: e. gr. quando cognoscimus animal esse corpus naturale mixtum animatum sentiens, conceptus animalis vocatur ille actus intellectus, quo mediante cognoscebatur de animali, quod fit corpus naturale mixtum animatum sentiens. Studio diximus *conceptum formalem* in *Scholis* vocari cognitionem quæ fit per intellectum: Nam utut alias duplex detur cognitio: Una cujus principium est intellectus, quæque homini propria est: Altera, cujus principium est sensus, & quam homo cum cæteris animantibus communem habet: Ullus tamen obtinuit, ut illa saltem, non item hæc, tali censeatur nomine.

*Conceptum objectivum Scholastici* nuncupant id quod cognoscitur per intellectum quatenus quidem per intellectum cognoscitur e. g. de animali cognoscitur per intellectum, quod fit corpus naturale mixtum animatum sentiens, unde complexus horum prædicatorum, quatenus de animali cognoscitur, dicitur a *Scholasticis* conceptus objectivus animalis.

Rectius dicitur: *objectum conceptus*, hæcque locutio perceptu facilius evadit, quam si dicatur, *conceptus objectivus*: nam quando de animali cognoscitur, quod fit corpus naturale mixtum animatum sentiens, sane quisque cognoscit, quod objectum cognitionis quam de animali formamus, sint hæc prædicata simul sumta: corpus naturale mixtum animatum sentiens: hinc etiam *Scholastici* conceptum formalem vocant ipsam cognitionem quæ fit per intellectum, quia dum rem concipio per intellectum, actus quo rem concipio, est *formaliter*, hoc est, secundum se ac rei veritatem, conceptus, id est, cognitio quæ fit per intellectum: Cur autem rem quæ cognoscitur per intellectum, quatenus per intellectum cognoscitur, vocent conceptum objectivum, quisque facile assequitur, quia scilicet, uti diximus, res eatenus objectum est cognitionis. Interim quia locutionem hanc usus probat, eamque *Philosophi* non modo, sed etiam *Juristi* ac *Theologi*, & hi quidem præ cæteris, frequenter recipiunt, merito eandem retinemus, ac ideo explicuimus.

Idem esto iudicium de *notione*, item *intentione*, quando scilicet

in Scholis inter *notionem formalem & obiectivam*, item inter *intentionem formalem & obiectivam* distingvitur. Nam *conceptus, notio, intentio*, hoc loco pro iisdem sumuntur; Dum enim intellectus aliquid cognoscit, noscit illud inque ipsum tendere dicitur, atque ita *intentio* in presenti ex mente *Scholasticorum* actum intellectus, non autem voluntatis significat.

Ex haftenus allatis sponte fluit per *conceptum in rationis formalis* delineatione intelligi non *conceptum formalem*, sed *conceptum obiectivum*: Ita quando vulgo dicitur, animalis primum conceptum esse corpus naturale mixtum animatum sentiens, sensus esse nequit, quod cognitio, qua scilicet cognosco, quod animal sit corpus naturale mixtum animatum sentiens, sit *ratio formalis* animalis, cum homo sit substantia, ista vero cognitio, quam *conceptum formalem* animalis vocant, sit verum & reale accidens. Hic ergo sensus relinquitur, quod *conceptus obiectivus* animalis, hoc est objectum cognitionis de animali, nempe corpus naturale mixtum animatum sentiens, sit essentia animalis.

Meretur vero accuratiorem explicationem, quod in *rationis formalis* delineatione secundo loco dictum est, eam esse *CONCEPTUM PRIMUM*, ut sufficienter constet, unde *conceptus obiectivus* hoc habeat, quod primus dicatur? Scilicet tria requiruntur ad conceptum obiectivum, ut sit *PRIMUS*. Primo ut sit, *objectum cognitionis verae*: Ita e. gr. lapis non pertinet ad primum conceptum animalis, quia quando lapis sit objectum cognitionis formatae de animali, huiusmodi cognitio, quam formo de animali, est cognitio falsa, adeoque lapis objectum falsae cognitionis existit. Secundo, ut sit *objectum cognitionis necessariae*, h. e. necessario verae: Ita quando de animali cogito quod sit doctum, id doctum nequit pertinere ad primum conceptum animalis, quia licet vere de animali cognosci possit quod sit doctum, ea tamen cognitio non est necessario sed contingenter vera, h. e. sic vera ut queat esse falsa. Tertio ut sit *objectum cognitionis, cuius ratio a priori dari nequeat*: Ita e. gr. quando cognosco animal esse mobile, corruptibile, vivum, appetens, haecce talia praedicata nequeunt pertinere ad primum animalis conceptum: Ratio namque a priori dari potest, cur animal necessario sit mobile, corruptibile, vivum, appetens, nempe quia est naturale, mixtum, animatum, sentiens. Ex quibus patet nihil ad *rationem formalem* spectare, nisi de re aliqua vere, necessario & ut ratio eius a priori praedicari aptum sit.

Hic

Hic amplius notanda occurrit *Scholasticorum* distinctio inter *conceptum primum totalem seu adequatum* & inter *conceptum primum partialem seu inadequatum*: Illum vocant complexum omnium prædicatorum verorum ac necessariorum alicujus rei, quorum scilicet ratio a priori dari nequit; Hunc appellant primum conceptum qui non omnia arguit prædicata vera & necessaria, quorum ratio a priori dari nequit, sed saltem unum vel solummodo aliqua, aut si plura, non tamen omnia. e. gr. quando cognosco animal esse corpus naturale, corpus naturale est partialis conceptus primus animalis: Ita conceptus partialis animalis est, quando cognosco de animali, quod sit corpus naturale, mixtum, animatum. Contra totalis conceptus primus animalis est, quando cognosco, quod sit corpus naturale, mixtum, animatum, sentiens. Quam distinctionem repetimus ideo, ne quis existimet, quemlibet cujuslibet rei conceptum primum statim *rationem formalem* dici posse. Nam (quod probe notandum est) absolute ac primario *RATIONIS FORMALIS* nomen meretur *conceptus primus*, quem *TOTALEM & ADEQUATUM* vocant.

Denique probe cavendum, ne quis pro iisdem habeat *ESSENTIAM & RATIONEM FORMALEM*. Latius enim patet *ratio formalis* quam *essentia* (notione *essentie* pro *primo conceptu totali seu adequato* sumpta) quia omnis *essentia* est *ratio formalis*, sed non omnis *ratio formalis* est *essentia*. *Essentia* enim rigorose philosophando notat *primum conceptum entis*, *ratio* vero *formalis* notat *primum conceptum rei*, sive illa res sit ens, sive non ens: Notio namque *rei* saepe latius patet quam notio *entis*; Inde fit ut quoque *ratio formalis* hujus vel istius non entis detur: e. gr. de aliqua re cogitasse dicimur, licet de aliqua privatione sicque de non ente cogitaverimus: Ita cæcitatæ ratio formalis consistit in eo, quod sit absentia visus ex animali per naturam visus capaci, ratio formalis tenebrarum in hoc, quod sint absentia luminis ex aëre, ratio formalis peccati in abstracto sumti, in reali disconvenientia actionis liberæ cum natura rationali. Sic igitur cæcitas, tenebræ, peccatum in abstracto sumtum habent suas rationes formales, essentias non habent, quia non sunt vera ac realia entia seu quia sunt non entia.

Habet sane distinctio inter *rationem formalem quæ simul essentia est* & inter *rationem formalem quæ non est essentia*, suum fundamentum: Non enim de nihilo est distinctio inter *reale & ens reale*: Ita e. gr. attributa entis, ut vocantur, sunt attributa *realia*, non tamen *entia*.

*entia realia*, quia realiter non differunt ab ipso ente. Sic relationes personales in Myſterio S. S. Trinitatis, quas *Theologi* etiam relationes Dei ad intra vocant, ſunt relationes & *reales* & realiter diſtinctæ, non tamen ſunt *entia realia* & realiter diſtincta. Pariter quam plurimæ dantur relationes *reales* in *Phyſicis*, *Moralibus* & *Politicis*, quæ tamen non ſunt *entia realia*: e. gr. quis negaret duos homines revera cæcos eſſe realiter ſibi ſimiles? Eſt igitur realis ſimilitudo adeoque realis relatio unius iſtorum hominum ad alterum, quæ tamen mutua realis relatio, in quantum duplicem cæcitatem pro fundamento habet, reale ens dici nequit, cum cæcitas ſit mera privatio, adeoque non ens. Ex dictis liquet, cur *ratio formalis* deſcripta fuerit per primum conceptum *rei*, ſicque ultimo loco hæc vox adjiciatur? Scilicet ut ratio haberetur laxioris ſignificationis, quæ rei reſpectu entis tribuitur.

Quamvis vero *ratio formalis* & *essentia* ut latius & anguſtius differant, non tamen omnis uſus repudiat arctiorem ſignificationem *rationis formalis*, prout idem ſignificat quod *primus conceptus veri ac realis entis*.

Cæterum nec hoc prætereundum ducimus, quod utut in præcedentibus oſtenſum ſit per *rationem formalem* primario ac absolute ſignificari primum conceptum rei totalem ſeu adæquatum; tamen *rationis formalis* nomen etiam mereatur *conceptus rei primus partialis ſeu inadæquatus*, non tamen quilibet, ſed iſte, qui rei, cujus primus conceptus audit, maxime proprius eſt. Ita recte ſentiunt, qui rationem formalem animalis in eo poſitam dicunt, quod ſit ſentiens, modo per rationem formalem animalis intelligant primum conceptum proprium primoque conceptui communi plane contradidinctum: nam reliqua prædicata omnia, quæ ad primum animalis conceptum itidem ſpectant, partes communis conceptus ſunt: E contrario animatum non poteſt dici ratio formalis animalis, multo minus mixtum aut corpus naturale, imo nec corpus naturale mixtum hocce nomine cenſeri poteſt.

Melius hæc res percipitur, ſi adducatur diſtinctio *conceptus primi partialis ſeu inadæquati in reciprocum & non reciprocum*: e. gr. reciprocus conceptus primus inadæquatus animalis eſt ſentiens, non reciprocus eſt corpus naturale; Non enim omne corpus naturale eſt animal, omne vero ſentiens eſt animal, hoc eſt, animal & ſentiens æq; late patēt, corpus naturale & animal non itē. Venit ergo *rationis formalis* nomine ſaltē iſte *primus conceptus partialis*, ſeu, quod eodem redit, iſta pars primi

mi conceptus, quæ est reciproca, qualis non est nisi maxime propria & ultima differentia e. gr. sentiens respectu animalis. Nec subeat mirari, cur ea pars primi conceptus, non item cæteræ, denominationem rationis formalis subire valeant: hæc enim reliquas partes primi conceptus omnes ac singulas necessario prærequirit ac præsupponit, quod de nulla reliquarum partium sive seorsim sive conjunctim spectatarum dici potest, quia semper important conceptum communem, in quo res, de cujus ratione formali quæritur, cum aliis convenit.

Cavent igitur accuratioris Philosophiæ cultores, ne confundant inter se: *esse ipsam rationem formalem, esse de ratione formali, pertinere ad rationem formalem. Esse ipsam rationem formalem* vel idem notat ac esse totum primum rei conceptum, vel significat nihil aliud, quam esse primum rei conceptum partialem, non tamen nisi eum, qui rei, cujus primus conceptus dicitur, maxime proprius est. *Esse de ratione formali* idem importat ac esse partem primi conceptus rei: ita e. gr. de ratione formali animalis est corpus naturale, de ratione formali animalis est mixtum, de ratione formali animalis est animatum, de ratione formali animalis est sentiens, quia hæc omnia quando seorsim spectantur arguunt talia, quæ partes primi conceptus animalis dici mereantur. Et licet differentia essentialis ultima, quodque illi respondet e. gr. sentiens respectu animalis & de ratione formali animalis sit; & sano sensu ipsa ratio formalis animalis dicatur, (sumpta sc. notionem essentialis pro ultima & maxime propria primi conceptus parte) non tamen omne quod de ratione formali rei est, ipsa ratio formalis dici potest; ita e. gr. animatum, item mixtum, corpus naturale, corpus naturale mixtum, corpus naturale animatum nemo dixerit ipsam rationem formalem animalis, sed solummodo (si modum loquendi apud accuratos Philosophos receptum sequamur) dicuntur esse de ratione formali animalis. *Pertinens ad rationem formalem* omne illud vocatur, quod notat primum conceptum rei, sive ex toto, sive ex parte, seu quod idem est, quicquid cognitionis de vero ac reali ente veræ necessariæ ac cujus ratio a priori dari nequit, objectum est, sive aliud itidem talismodi cognitionis objectum sit, sive minime. Exempla e supra dictis petifacili negotio queunt.

Tandem sciendum est, quod quæ ratione *ratio formalis* non raro idem significat quod *essentia*, eadem fortuna quoque pari passu ambu-

ambulent *ratio formalis*, quidditas, ceu *Scholasticis* vocatur, *natura*:  
Sunt quippe synonyma essentiae *quidditas* & *natura*, si nempe *natura*  
aliter sumatur quam in *Physicis*, ubi principium movendi & quie-  
scendi notat in eo, in quo est primo & per se: multa enim entia dantur,  
quæ non sunt tales *naturæ*, nec tales *naturas* habent, ut patet exemplo  
*DEI* & angelorum: Ita quando dicimus unam *naturam* esse in tri-  
bus personis divinitatis, in Christo duas esse *naturas*, *natura* idem si-  
gnificat quod essentia. Interdum tamen *natura* tam late patet, quam  
*ratio formalis in laxiori significato sumta*: e. gr. quando in *Moralibus*  
distinguitur inter ex sua natura honestum & ex sua natura turpe. Idem  
esto iudicium de notione *formæ*, quæ certe frequenter pro *ratione*  
*formali* accipitur, ut infra dicitur. Atque hæc sufficiant de *ratione*  
*formali*.

Redeamus ad ea, quorum gratia quid sit & dicatur *RATIO*  
*FORMALIS*? prolixius exposuimus. Scilicet ut inscriptio *Titu-*  
*li Secundi* indicat, monuimus notione *FORMALITER* sæpenu-  
mero significari *totam rationem formalem rei*, hoc est, ut Scholæ lo-  
quuntur, *conceptum rei primum ac simul totalem seu adequatum*. Igi-  
tur genuinus usus hujus notionis hocce secundo modo acceptæ se exe-  
rit, si ad quæstionem: *quid FORMALITER sit hoc vel illud?*  
respondeatur per *totam RATIONEM FORMALEM*: Per *totam*  
*vero rationem formalem* quis respondet, quando adfert totam defini-  
tionem illius rei, de qua, quid sit *formaliter*? quærebatur, quod ta-  
men maxime de essentialibus definitionibus intelligi debet. Nam  
quid formaliter est *definitio essentialis*? quid quæso est? nihil certe nisi  
oratio declarans totam essentiam rei, nec differt definitio essentialis ab  
essentia nisi ut signum a signato, imo per metonymiã signi pro signa-  
to recte *definitio essentialis* nomine *rationis formalis* appellatur. Exem-  
pli gratia: Quærenti *quid formaliter sit animal*? vulgo responde-  
tur: est corpus naturale mixtum animatum sentiens. Quantum  
vero momenti ad solidam eruditionem adferat cognitam habuisse,  
genuinam significationem notionis *FORMALITER* hoc se-  
cundo modo acceptæ, sicque perspectum tenere modum recte respon-  
dendi ad omnium Facultatum quæstiones: *quid formaliter sit hoc*  
*vel illud?* norunt profecto omnes, quotquot non ignorant idonea  
ac necessaria media & adminicula, quibus instructi esse debent omnes  
ii, qui in Academia volunt solidioris eruditionis accuratiorumque  
stu-

studiorum fructum carpere. Idque causæ est, cur *definitionum essentialium*, ubi haberi possunt, genuinum intellectum ac solidam notitiam *πεπαιδευμένοις* Auditoribus tantopere commendent *omnium Facultatum Doctores*, quibus curæ cordique sunt Academicæ Juventutis studia rei que literariæ incrementa. Facillimum esset demonstratu, si id ageretur, & veterum & hodiernorum cum Philosophorum, tum reliquarum facultatum Doctorum, perpetuam hanc fuisse sententiam.

Et nisi oculis nostris crederemus, eccui prope jurato testi tantum fidei haberemus, ut persuadeat nobis ab ullo unquam Philosopho defensum fuisse, ipsas essentias ac definitiones essentielles (uti quidem hactenus in Academiis explicatæ & perceptæ fuerunt) non esse realiter & absolute essentias ac definitiones essentielles, nec hisce cognitæ ac perceptis ipsissimam rei definitæ essentiam jam perspectam haberi atque cognitam, cum pauca imo pene nulla entia subtilissimis licet conceptibilitatibus definita hoc nobis concedant, sed esse cucullos vacuos ac suppositive saltem, notionaliter & respectively esse essentias ac definitiones essentielles, quod iis tanquam notis characteristicis determinatæ res tanquam essentiæ in classe prædicamentali certo situ cum aliis adhiberi atque ita distincte tractari queant, ipseque intellectus noster ea saltem attributa, quæ scilicet & semper & necessario & naturaliter h. e. ita rebus competere videat, ut nihil iis inveniatur in objecto prius, ex quo tanquam causa resultent, abstrahat, iisque *LICET REVERA EXTRINSECIS*, vim naturam & essentiam rerum supponat. *Item* ejusmodi notiones definitivas non nisi metaleptica ratione definitiones essentielles appellari. *Item*, eas non tam ipsas *ESSENTIARUM SUBSTANTIAS*, quam earundem saltem distinctas ad alia, cum quibus intellectui simul ad cognoscendum offeruntur, rationes complecti, nihilominus tamen concessive, quicquid ad essentias has revera spectet, ut ut nobis adhuc sit ignotum, quasi iis contineatur, a nobis subintelligi ac supponi, perinde ut in Algebra Radicis seu Cosæ suppositione quicquid ad rem quæsitam spectat, simul exhiberi ponitur, jamque ut notum tractatur, atque inde res ipsa quæritur atque determinatur. *Item*, perceptis (ex communi nempe Virorum eruditorum consensu sic dictis) definitionibus essentialibus nondum cognitam perspectamque esse intimam definitæ rei essentiam, præter id, quod illæ saltem ex collatione rerum inter

se, atque ita magis ab extrinseco desumptæ sint, etiam inde apparere, quod iis apprehensis nihil adhuc nobis constet de rei proprietatibus & attributis necessariis, quæ tamen ab essentia resultent atque individuo nexu cum eadem cohæreant, ita ut qui essentiam rei tanquam causam penitus novit, non possit non de proprietatibus tanquam de effectibus inde saltem emanantibus esse certus. *Item*, non constituere causam demonstrationis, omnemque demonstrandi vim iis denegandam esse. *Item* esse terminorum & conceptibilitatum tricas. *Item* essentiali definitione realiter & absolute tali non indigenti differentiam specificam. *Item* genus & differentiam specificam rei nunquam esse veras partes essentielles, imo magis esse conceptibilitatum quavisquas, quam realia effata.

Sed miro sane affectu præpediti veræ esse ac utilis Philosophiæ cultorem oportet, qui non videat a nemine asseri talia potuisse, nisi pugnantia dicere voluisset. Fortasse æterna silentii nube sepeliri, quam in apertum proferri satius esset. Nam quæ sententia pro meris **NOSTRORUM PONTIFICIORUM** cucullis venditur, ea non solum saniorum Scholasticorum, sed præstantium etiam seculo nostro virorum & vel omnium vel prope omnium veterum Doctorum fuit, habetque contraria opinio disquisitionem non minus inutilem, quam supervacaneam. Nam I. in Philosophia theoretica, si Physicam, non tamen omni ex parte excipiamus, definitiones tales quam plurimas dari, quæ utut nec sint **CONCLUSIVÆ** h. e. *demonstrationum conclusiones*, nec **CAUSALES** h. e. *attributi causam cur subjecto competat, in se complectentes*, tamen rerum ipsarum, quarum definitiones sunt, essentias intime perspectas reddant atque cognitæ, tot exemplis demonstrari potest, quot desiderari possunt ab iis, quos prurigo tenet contradicendi etiam his, quæ per se manifesta sunt cuivis in Aristotelis omnisque ævi celebriorum Philosophorum, scriptis versato, ut dubites pronunciari, neminem id affirmaturum quod profecto negabit nemo. Ex quibus omnibus forte conjecturam facere licebit, confundi intimiorem rei scientiam cum demonstrativa scientia: Quasi vero nemini res plurimæ intimæ perspectæ in Philosophia theoretica esse possent, utut cognitiones illæ nec sint conclusiones demonstrationum, nec cognitiones attributorum per causas. Nec immerito dubites, annon ab adversa parte confundantur habere solidam rei definitæ cognitionem & habere solidam rei demonstrandæ scientiam. Nam licet scientia talium defini-

tio-



tionum non absolvat scientiam demonstrativam, sed ad eam saltem in certis casibus prærequiratur, quæ tamen est subtilitas, inde colligere velle, quod prædicata talia quæ ET SEMPER ET NECES- SARIO ET NATURALITER, HOC EST, ITA CON- PETUNT REBUS, UT NIHIL IIS INVENIATUR IN OBJECTO PRIUS, EX QVO TANQVAM CAU- SA RESULTANT, sint prædicata rei extrinseca, item magis ex- trinseca, quam intrinseca? Unde enim hoc probabitur? Numne ex eo fundamento, quod non arguant definitiones conclusivas aut cau- sales? Sed hic forsitan facilius Philosophiæ accuratioris cultores cre- derent fallaciam subesse petitionis ejus, quod in principio, quam quod qui alias definitiones essentielles realiter & absolute sic dictas præter conclusivas & causales agnoscunt, omnes demonstrationes circulo metiri doceant idque causæ sit, cur Pontificii tot in controversiis Theologicis committant circulos. Quod interim quandoque ab his vel illis pro prædicatis rerum necessariis, perpetuis, essentialibus ven- ditentur, quæ talia non sunt, non negamus, nec tamen hoc veritati præjudicat, nisi id propter quod a nonnullis pro definitionibus con- clusivis & causalibus imo pro quintis essentiis solidæ eruditionis me- ri terminorum lusus ac numeri novorum vocabulorum venditantur, statuamus definitiones conclusivas & causales penitus esse desisse.

II. Παιδευμένοις studiosis incognitum esse nec potest nec debet, in Mathematicis disciplinis sæpissime unam fere eandemque esse sub- jecti nominalem & essentialem definitionem. Non de omnibus di- sciplinis loquimur, quæ vulgo Mathematicæ vocantur, in quibus et- iam sunt, quæ Aristoteli Φυσικώτερα τῶν μαθημάτων dicuntur, ut sunt Optica, Musica, Astrologia, sed saltem de iis, quas Philoso- phus vocat ἀπλά μαθηματά: Ita omnes subjectorum definitiones Geometricas & Arithmeticas aut saltem non omnes si hujus generis esse dicamus, forte non adeo magnum errorem errabimus. Adesse volumus exempla: Triangulus est figura habens tres angulos vel tria latera. Quadratum est figura habens quatuor latera æqualia. Tri- angulus æquicrurus est qui habet duo latera æqualia, tertium inæqua- le. Ita nominalis & essentialis definitio quadraturæ ex Aristotelis mente est constituere quadratum æquale figuræ propositæ. Nomi- na namque utut non Φύσει, sed Ήσει consent, nihilominus si recte imposita sunt, rationem ac naturam rei sequi ac imitari debent: quæ

etiam caua est, cur *Plato in Cratylo* impositionem nominum competere dicat viris sapientibus, qui exactum de natura rerum iudicium ferre possunt. Et omnino saltem aliqua nomina, a viris doctis excogitata, nos ducunt in ipsius rei intelligentiam. Ipse *Aristoteles* ejusmodi definitiones essentielles, quia nihil prope aliud dicunt, quam quod iis nominibus significatur, non immerito vocavit nominales, nec tamen id propter essentielles esse negavit, imo adhuc pro essentialibus merito habendæ veniunt. III. Plurimum profecto interest, numne essentialem definitionem Mathematicam, an physicam, item num Moralem, vel Theologicam, aut Juridicam, aut Medicam quæras. Unde utut non omnino negemus præcognita mathemata usum & fructum non contemnendum afferre ulterioris philosophiæ omnis, quin & in superiorum, ceu vocantur, Facultatum studiis, communi tamen Virorum doctissimorum consensu falsum est, quod aliarum ejusmodi disciplinarum vel ullius harundem definitiones essentielles vel demonstrationes e Mathematicis fontibus & principiis vel minimam partem deduci possint. Quippe omnes docti in eo consentiunt, quod una quælibet scientia ac disciplina sua habeat principia, omnisque solida & accurata doctrina atque demonstratio e subjectæ cujusque rei natura petenda sit: e. gr. ineptus essem, si mathemata ethice docere vellem, unde ut mathematica ethice doceri nequeunt; ita nec Moralia mathematicè doceri possunt. Docent id eorum, qui istud tentant, meri analogismi & ad rem ipsam nihil vel parum facientes, imo eam magis intricantes quam extricantes, veramque ac solidam doctrinam magis præpedientes quam adjuvantes. IV. Res multæ dantur imprimis in Physicis & Moralibus, quarum esse est fieri & a causis externis pendere: Unde in his proprius est locus definitionibus causalibus. Ut enim res affectæ sunt ad esse; ita etiam ad intimam ac vere realem cognitionem & veritatem. V. Contra *Aristotelis* omniumque *Analyticorum* asserta est, quod definitio causalis (hoc est, quæ attributi causam, cur subjecto competat, in se complectitur) ea demum sit definitio, quæ feliciter impetrata obtineamus intimam definiti cognitionem, eaque sola vere realis definitio sit omniumque perfectissima. Omnis quoque *Analytica* cum universo accurate & solide docendæ veritatis merito huic assertioni pleno ore reclamat. Adesto decantatum exemplum definitionis pro vere reali omniumque perfectissima-

ma-

ma habitæ quæ sic se habet : Eclipsis Lunæ est interpositio Terræ dia-  
 metralis inter Solem & Lunam. Judicent Viri doctissimi, numne  
 hac definitione percepta obtineamus intimam definiti cognitio-  
 nem, eaque sola vere realis sit? Ita quidem videri primo in-  
 tuitu poterat, & quidem ex hac ratione, quia cum accurate  
 quærimus *quid sit?* nihil aliud volumus, quam quænam sit causa,  
 quodve medium h. e. quænam ratio, quare definitum hoc sit quod  
 dicitur: Nos vero aliter edocti contrarium pro verissimo ac certis-  
 simo habemus. Ratio, quæ, nos movet, hæc est. Utut omnino  
 concedamus; ab accurate docente ad quæstionem: Cur Luna patia-  
 tur eclipsin? recte responderi, ob interpositionem Terræ diametra-  
 lem inter Solem & Lunam, seu quia diametraliter interponitur glo-  
 bus Terræ inter Solem & Lunam; tamen quisque *παραδιδόντες*  
 discipulus quæret amplius: Cur diametraliter interponatur globus  
 terræ inter Solem & Lunam, cum id aliis astris non eveniat? re-  
 spondet Doctor: quia Luna est propinqua terræ & minoris quanti-  
 tatis quam terra. Pergit ille: At si stellæ fixæ essent propiores terræ  
 & minoris quantitatis quam terra, non tamen paterentur eclipsin, quæ  
 ergo fit, ut Lunæ ita affectæ hoc accidat? Hic respondet Doctor: Iste  
 stellæ proprium habent lumen, Luna non item, sed omne lumen, quo  
 nobis, in terra constitutis, splendet, acceptum refert Soli. Ex his, se-  
 cuti *Aristotelem* aliosque in Analytica versatissimos Viros, inferimus,  
 quod ad naturam Lunæ sicque ad essentialem ejus definitionem hic re-  
 currendum sit. Nec est, quod excipiatur, eclipsin esse saltem affectionem  
 externam Lunæ, eo quod ob externam causam aliquam Lunæ accidat: E-  
 sto: adhuc tamen opus est definitione essentiali Lunæ. Nam si quærat *παραδιδόντες*  
*παραδιδόντες* auditor, hoc autem, quia solidam eruditionem quærit,  
 non potest non quærare, et quid causæ subsit, quod ob diametralem ter-  
 ræ interpositionem inter Solem & Lunam Luna privetur lumine; et-  
 iam si vero terra eo usque umbram spargere posset, ut stellas fixas con-  
 tingeret, eclipsin tamen hæc non paterentur? Recte ac rite fungens  
 officio analytice docentis nec vult nec potest aliter respondere, quam  
 pro diversa Lunæ & stellarum fixarum natura id fieri. Ideoque eclipse-  
 os Lunæ causa non solum externa est, sed propria insuper natura Lunæ,  
 quæ intimum ejus est principium, in quod proinde analysin fieri oportet,  
 ut perfecta & omnibus numeris absoluta sit demonstratio, quæ scienti-  
 am gignat perfectam. Ecquis igitur eruditorum dubitaret amplius defi-  
 nitæ

nitioem essentialem rei esse intrinsecam prædicationem ac vere rea-  
lem omniumque perfectissimam definitionem? Tacite istud admittitur  
a contradicente, dum ad quæstionem: Cur Luna Soli diametraliter  
opposita eclipsatur? respondet: quia terra utriusque intercedens Lunæ de  
se obscuræ (DE SE OBSCURÆ) lumen Solis eripit. Non ergo definitio  
causalis unquam satis perfecta est, sed si causalis definitio rei, ubi haberi  
potest, cum essentiali jungatur, tum demum nascitur inde perfe-  
ctissima definitio omnibusque numeris absoluta. VII. Videant  
ergo, qui negant definitiones rerum essentielles esse reales atque intrin-  
secas, annon vel inviti hac sua assertione tollant omnem realem ac in-  
timitiorem rei cognitionem, tollant etiam omnem primum modum  
dicendi per se, omnemque accuratam scientiam & demonstrationem.  
Per essentialiam enim & non per aliam causam res est id quod est, hujus  
autem λόγος est definitio essentialis, ad quam tandem in omni omnino  
demonstratione, si accurata & perfecta dici debeat, recurrendum est.  
Dicis: definitiones essentielles demonstrari posse ex causalibus e. gr. de-  
fectum luminis in luna, quæ est definitio essentialis eclipseos Lunæ, de-  
monstrari ex causali, nempe ex diametrali interpositione terræ inter  
Solem & Lunam. Respondetur: aliud est demonstrare, quod Luna  
privetur lumine, cum patitur eclipsin: aliud est demonstrare, quod  
privatio luminis in Luna sit definitio eclipseos Lunæ. Prius demon-  
strari potest, posterius minime: Quis namque dixerit, interpositionem  
diametralem terræ inter Solem & Lunam esse causam cur eclipsis Lu-  
næ sit privatio luminis in Luna: Hæc enim est ratio formalis eclipseos,  
aut idem potius atque ipsa eclipsis. Sicut ergo nulla causa afferri pot-  
est, cur eclipsis sit eclipsis; ita nec demonstrari potest definitio essen-  
tialis eclipseos. Sunt igitur definitiones causales principia demon-  
strationum, non item definitionum essentialium: definitiones vero  
essenciales non sunt principia demonstrationum, quia quoad rem de-  
finitiones essentielles & definita istius generis idem per omnia sunt,  
adeoque demonstrationes inde ducere revera nihil aliud esset, quam  
petere τὸ ἐν δεξιῇ: Hoc interim non obstante omnis causa, unde de-  
finitio causalis appellatur, in formam subjecti postremo resolvitur, non  
in aliquam aliam externam causam. Excipiat aliquis, exinde sequi,  
quod ad constituendam causam sive medium demonstrationis ipsa de-  
finitio essentialis assumi possit: At facilis responsio est. licet id quod ad  
essentialiam subjecti pertinet, assumatur, tamen id non assignatur ut pro-  
pria

pria & perfecta definitio subjecti, sed quatenus pertinet ad ipsam causalem definitionem prædicati. VIII. Quod *Aristoteles* causales definitiones certarum rerum pro perfectissimis earundem definitionibus, item essentialibus venditaverit, non est, cur miremur, cum ipsi causalis definitionis appellatione non raro veniat integra definitio, quæ & essentiam explicat & causam adfert. IX. Quod non semper docens opus habeat definitionibus essentialibus, hoc est, accuratis & exquisitis, in quibus legitimum sit genus talesque differentia, quales ab Analyticis requiruntur, largimur facile: Nam videndum semper habemus, quisnam scopus docenti sit propositus? e. gr. fieri potest, ut hac hora nullum alium intendat scopum is qui docet, quam demonstrationem aliquam, vult scilicet aliquid demonstrare, & sic non tenetur ipse adferre rei, quam demonstrare vult, essentialem definitionem: quippe non ex essentiali sed ex causali definitione demonstrari potest, ceu supra monuimus: unde quando eo fine adfert definitionem, ut ex ea aliquid demonstret, non opus erat essentiali definitione, sed ea, in qua generis non habetur ratio, sed causæ propriæ. Alia hora unice ea fini affectionem quandam definire studet, ut auditor cetera eo melius intelligat, sic non opus habet definitione causali, sed satis est, si attulerit istius affectionis essentialem definitionem: Interim ipsius docentis est nosse essentialem definitionem subjecti eamque pro vere reali habere. Nam si propriæ affectiones omnium saniorum iudicio ab essentia subjecti fluunt, hæc autem definitione non nisi ea, quam essentialem dicimus, exprimitur, sane principium omnis solidæ eruditionis ab ea pendeat, adeo ut nobis profecto non liqueat, quomodo satisfactorius sit auditori academico *πεπαιδευμένω* iste Doctor, qui nescit medium solidæ informationis recte a definitionibus essentialibus petere. X. Hoc etiam nos non terret, quando nondum *πεπαιδευμένοι* auditores patiuntur se adduci, ut credant definitiones essentialis esse meras nomenclaturas & involucragrammaticalia: Facimus exemplum huius rei: si ad auditorem quempiam, qui mavult eruditus videri quam esse, dixeris: non opus est, ut memoriæ mandes definitiones: nam si e. gr. discas definitionem animalis, & quidem hanc, quam realem & essentialem vocant: animal est corpus naturale mixtum animatum sentiens, quid quæso didicisti? mera quinque nomina; corpus, naturale, mixtum, animatum, sentiens, prætereaque nihil. Et profecto nisi incipientes si Doctorem vel minus  
accu-

accuratum vel minus candidum invenerint, quam speraverant, sic patenterentur sibi imponi ab eo, desiissent esse in numero incipientium suamque *αἰσθητικῶν* excussissent. Fatemur ipsi, quod auditor *ἀπαιδευτός* definitionem hanc, utut centies eam profertur audiat, pro mere nominali habeat, nec aliter habere queat: quasi vero id proptere vere realis definitio esse desineret, quam pro vere reali rudis auditor habere nescit. Multa profecto sunt & manent, utut rudibus nunquam videantur. Sed quid quaeso causae est, cur auditores hi vel illi tam facile decipiantur e. gr. cur tam facile credant allatam animalis definitionem esse mere nominalem? Causa haec est, quod maxime realis & vere essentialis definitio rei (e. gr. animalis) perfecte cognosci non possit, nisi quis omnia superiora genera & omnes remotiores differentias habeat intime perspectas. Pariter eundem oportet sufficienter ac intime cognitas tenere formas, quia compositorum essentialis definitiones in istis latent: Ipsum genus quoque significat aliquam formam in substantiis compositis, utut non adeo determinatam, qualem differentia exprimit. Eam ob causam *Aristoteles* non facile composita definivit, sed formas solas: ita ipse Philosophus non sentientis sed sensus; non animati, sed animae; non mixti; sed mixtionis affert definitionem essentialis. Item nullam exactam definitionem corporis naturalis tradit, naturae vero definitionem essentialis accurate pertractat: Et profecto nullum dubium est, quin *πεπαιδευμένος* auditor recte constitutis ac perceptis harum formarum definitionibus essentialibus (hoc vero opus, hic labor est, qui multum iudicii ac operae poscit, & qua consumpta magnam physicae eruditionis partem quis sibi merito gratulatur;) continuo ipsorum quoque compositorum essentialis intelligat. Ergo plumbeo auditori dicatur, quod allata animalis definitio non sit vere realis, quodque animal est corpus naturale mixtum animatum sentiens idem sit ac animal est animal. XI. Sed redeamus e diverticulo in viam, dignioremque ac prolixiorem huius argumenti tractationem reservemus alii occasione quo citiori, eo gratiori: Saltem de eo in praesenti adhuc dispicere libet, cui sit usui huius materiae intellectus in Theologia, Jurisprudencia Moraliumque studiis? Certe quod ante diximus, idem denuo pronunciamus: Quisquis iudicium exactum ferre vult de modo respondendi ad quaestionem Theologicam, Juridicam, Ethicam vel Politicam huius tenoris: Quid in Theologia, Jurisprudencia, Morali ac civili Philosophia sit formaliter hoc vel illud? Servato scili-

scilicet eodem quæstionis statu, quem per totum huncce titulū formavimus ac defendimus, (puta prout per totā essentialē definitionem, quæ ex genere conflata est & differentia complementibus rem definitam, respondendum venit) ei ante omnia notum esse oportet modum proprium scientiæ ac disciplinæ cuiusque: habet unaquæque scientia istiusmodi aliquem modum sibi proprium, quæ in re gaudeo me assentientes habere quosvis præstantissimi nominis & Theologos & Jureconsultos & Doctores Morales ac Politicos. Inprimis notatu dignum est, quod practicæ disciplinæ & scientiæ (de effectivis idem iudicium esto) omnia metiantur sine, atque in ordine ad istum singula definiant: Inde non mireris, cur practice docentes magis minusve accuratas definitiones afferant, prout cuniusujusque cognitio confert ad finem obtinendum.

Quam vellem, si temporis paginæque angustia permitteret, illustribus usuque frequentissimis exemplis istud declarare: Unum vel alterum perceptu facilius exemplum adduxisse hic loci satis esto. Assumamus exemplum Theologicum: Quæritur ex Theologia: *Quid formaliter sit prædestinatio?* Seu, quod eodem redit: *Quæ sit definitio h. e. tota ratio formalis prædestinationis theologicæ acceptæ?* Hic accurate & decenter respondere volens, sic ut metaphysice & analytice respondeat, (aliud est ex Metaphysica & Analytica respondere, aliud est Metaphysice & Analytice respondere) ex Theologia capit primo genus prædestinationis. Nam ad responsionem plenissimam recte formandam ante omnia opus est, ut genus recte assignetur. Hoc enim primum est, quod in responsione ad talem quæstionem ponitur: *Quidnam igitur est prædestinatio?* Nemo levissime in Theologia versatus dubitaverit, quod sit actio? Nunc quæritur amplius: Sed cuius actio? Nam omnis actio respicit causam externam, quæ inde denominatur causa agens. Cujus ergo est hæc actio, quæ prædestinatio vocatur? substantiæ intelligentis: Substantiarum intellectu carentium non est prædestinare aliquid. Porro quæritur: *Qualis est actio?* numne externa, an interna h. e. numne extra agens, an in agente? interna. Ubi enim esset, si esset extra agens. Amplius quæritur: *Quia propria substantiæ intelligentis actio interna saltem duplex datur: intellectio & actio voluntati propria, nam quicquid habet intellectum, habet etiam voluntatem; Estne prædestinatio intellectio, an actio interna voluntatis? actio interna voluntatis.* Concurrunt quidem in omni prædestinatione diversi actus interni, qui partim ad intellectum, partim ad voluntatem

D

spe-

spectant : sed ultimus actus, ut mox videbimus, voluntatis est. Iterum quaeritur : qualis actus : volitio, an nolitio ? Volitio. Qualis volitio ? volitio efficiendi rem aliquam. Quomodo talismodi volitio vocatur, si uno nomine eoqve satis accommodo eam exprimere velimus ? decretum. Ergo jam habemus genus proximum praedestinationis, quod ne nimium crescat oratio, quae totam rationem formalem praedestinationis indicat, & ornamento suo, quod est brevitatis, destituatur, merito in ea ponitur. Quod praedestinatio sit decretum, ex ipsa voce ac nominali definitione praedestinationis discere est : Vox quidem ipsa apud Seculares autores vix occurrit, Ecclesiasticis autem Scriptoribus frequens est, & denotat idem quod Graeca vox *προορισμός* : Verbum tamen destinare frequenter legitur apud profanos autores, & plerunqve illis idem notat, quod decernere animo : Ita apud Ciceronem dicitur destinare diem necis, i. e., decernere certum diem quo quis neci sit tradendus. Vocula praedenoat aliquam prioritatem, & quidem prioritatem durationis quae intercedit inter destinationem rei & inter rem ipsam destinatam, ut ita praedestinatio vi vocis sit destinatio rei vel personae seu ordinatio ad certum finem, priusquam res vel persona ipsa esset. Nam in Sc. S. verbum *προορίζω* accipitur de rebus & de personis. Quia igitur decretum vere ac necessario praedicatur de praedestinatione, & in quid, ut tamen latius pateat decretum quam praedestinatio, decretum erit genus praedestinationis. Porro genere percepto de differentiis inveniendis est cogitandum. Videamus ergo, ad quid tendat praedestinatio, ut praecise in praesenti sumitur ? deq; eo primo omnium nunc dispiciendum est, partim eam ob causam, quia in essentialibus definitionibus, quae in disciplinis practicis investigandae veniunt, semper potissimus respectus habendus est ad finem, ut in praecedentibus docuimus ; partim ideo, quia praedestinatio vi vocis est rei vel personae destinatio seu ordinatio ad certum aliquem finem, ceu modo diximus. Est autem praedestinatio destinatio hominis ad vitam aeternam : Stylo namqve Sc. S. (ut orthodoxi Theologi nos docent,) praedestinatio pro hominis destinatione absolute & sine aliquo addito accepta nunquam denotat destinationem hominis ad aeternam damnationem, sed semper importat vel praeparationem gratiae, vel ordinationem seu destinationem hominis ad vitam aeternam, ejusdemqve ut nunc sumitur finis absolute sic dictus h. e. essentialis ultimus est vita aeterna, ceu aperte indicant loci Scripturae Sacrae, e quibus nempe venerandi Theologi nos veritatem hujus asserti docent, ut sunt : *Act. XIII.*



48. *Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam, & 1. Theff. V. 9. Constituit nos DEUS, ut salutem consequamur per Dominum nostrum Jesum Christum.* Porro quorumnam est prædestinatio, seu quod eodem redit, quodnam est objectum prædestinationis? Prædestinatio est decretum de æterna salute hominibus conferenda, adeoque hominum prædestinatio est, hoc est, materia prædestinationis sunt homines, ceu ex modo citatis Scripturæ locis, item *Rom. VIII. 29.* manifesto liquet. Sed numne prædestinatio est omnium hominum? Non omnium, sed paucorum *Matth. XX. 16. it. XXII. 14.* Non enim omnes homines fiunt salvi in tempore *Matth. XXV. 41.* Ergo nec omnes ab æterno prædestinati sunt ad æternam salutem: Quippe executio decreti divini non potest non esse conformis ipsi decreto, ita ut in tempore non salvetur, nisi de cujus æterna salute ipsi conferenda DEUS ab æterno decrevit. Cur vero hominum non omnium, sed paucorum est prædestinatio? Causa non est in prædestinantem vel in absolutum aliquod prædestinantis beneplacitum, sed in hominum divinæ gratiæ obicem ponentium incredulitatem referenda. Deus enim vult ut omnes homines salvi fiant & ad agnitionem veritatis perveniant *1. Tim. II. 4.* sicque Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat: sed habeat vitam æternam. *Job. III, 16.* Non ergo nisi credentes in Christum prædestinati sunt ad æternam salutem. Sed numne omnes credentes? Minime, sed solummodo finaliter credentes. *Matth. X. 22. XXIV. 13. Marc. XIII. 13.* Sunt igitur objectum prædestinationis homines peccatores, ratio vero sub qua (in Scholis dicitur ratio formalis objectiva) prædestinatio est hominum peccatorum, h. e. sub qua homines peccatores prædestinati sunt, est fides finalis a Deo ab æterno prævisa, adeoque objectum prædestinationis sunt homines peccatores pauci (sic dicti pauci respectu vocatorum aut etiam respectu improborum & qui sine vera fide in Christum ex hac vita discedunt, quorum numerus longe major est) quos Deus finaliter in Christum credituros præscivit. *Rom. VIII. 29. seqq.* Ceterum qui voluntati divinæ malitiose repugnant, salutis media contemnunt & in incredulitate sua perseverant, illi sua culpa pereunt, eorumque prævisa repugnantia & perseverantia in incredulitate in causa est, quod ab æterno non sint prædestinati. Et hoc sensu vulgo objectum materiale prædestinationis dicuntur homines peccatores, objectum formale fides finalis a DEO ab æterno prævisa. Non enim ex

D •

hoc,

hoc, quod homines in æterna DEI præscientia considerati fuerint ut  
miseri peccatores, licet inferre, quod non considerati fuerint ut in  
Christum finaliter credituri. Facile nunc est dictu, a quo fit præ-  
destinatio? a Deo. Deus est causa efficiens prædestinationis ab æter-  
no factæ *Eph. I, 4. 5. Rom. VIII. 29.* Sermo est de causa efficiente  
virtualiter tali; nam prædestinatio, quia est decretum Dei, sicque  
actio interna voluntatis divinæ, realiter non differt a Deo, sed est  
ipsa Dei voluntas adeoque ipsa Dei essentia sumta cum connotato  
objecto, ad quod libere terminatur & quatenus a nobis per modum  
decreti concipitur. Per Deum intelligitur Pater, Filius & Spiritus  
S. Sicut enim tres personæ divinitatis eadem potentia homines fi-  
naliter credentes salvant, ita ab æterno eadem voluntate eos salvare  
decreverunt. Prædestinatio namque actio Dei interna; non vero  
actio est ad intra. Porro ob quid Deus prædestinationis autor est?  
In actionibus distingvenda sunt hæc duo: ob quid? & cuius gratia?  
Hoc causam notat finalem: Illud impulsivam. Dum igitur quæritur,  
ob quid Deus prædestinaverit nos ad salutem? Sensus est: quid mo-  
verit Deum, ut decerneret de salute æterna nobis in tempore con-  
ferenda? Meritum Christi vera fide finali apprehensum. Meritum  
enim Christi vera fide finali apprehensum in tempore Deum movet  
ut causa impulsiva externa, ut scilicet actu conferat hominibus, Chri-  
sti meritum vera fide finali suum facientibus, æternam salutem. E. idem  
Christi meritum, vera fide finali factum meritum finaliter credenti-  
um, movit ut causa impulsiva externa Deum, ut Deus ab æterno de-  
cerneret conferre in tempore æternam salutem, omnibus vera fide  
finali meritum Christi in tempore suum facturis atque ab æterno a  
Deo prævisis. Eadem enim semper fuit causa impulsiva decreti,  
quæ est causa impulsiva executionis decreti: De causa impulsiva lo-  
quimur, quando dicimus quod quæ executionis est eadem decreti sit  
causa impulsiva. Dicitur meritum Christi finali fide apprehensum:  
nam ut Christus passio & mors sit non pro nostris tantum sed pro  
totius mundi peccatis *1. Job. II, 2.* nemini tamen prodest nisi cre-  
denti & cui meritum Christi fide imputatur: *qui non credit jam  
condemnatus est, quia non credidit in nomen unigeniti Filii DEI. Job.  
III, 18.* In quo facta est prædestinatio? In Christo. *Eph. I, 4.* Chri-  
stus, isque solus causa meritoria prædestinationis est. Non enim  
repugnat unam eandemque personam simul unius ejusdemque actus  
esse causam efficientem physicam & causam meritoriam. Causa  
effi-

efficiens physica prædestinationis Christus est, ut est unus cum Patre & Spiritu S. Deus: meritoria causa prædestinationis, ut vi meriti sui ab æterno prævisi Deum movit ad prædestinationē h. e. decretum de æterna salute finali fide meritum Christi suum facturis sive credituris in tempore conferenda. Denique quid impulit DEUM ad hocce decretum de æterna salute hominibus finali fide meritum Christi suum facturis conferenda? mere gratuitus Dei favor. *Prædestinavit nos Deus juxta beneplacitum voluntatis suæ Eph. I, 5.* Scilicet Deus ab æterno decreverat hominem condere, fisque instruere viribus, quibus posset recte vivere & beatitudinem æternam consequi: Simul vero ab æterno præviderat hominem viribus suis esse abusurum & peccaturum, unde ab æterno voluit generis humani per peccatum in summam miseriam prolapsi misereri, quoad quidem salva justitia ipsius fieri posset, & voluit ut omnes fierent salvi *Ezech. XXXIII, 11.* Quia autem justitiæ divinæ satisfieri debuit, nec ab hominibus satisfactio ulla præstari poterat, decrevit Deus filium suum mittere, qui in assumpta carne pro peccatis omnium hominum satisfaceret *Eph. II, 3. 4. & seqq. Col. I, 19.* voluitque Deus ab æterno, ut omnes satisfactionem a Christo præstitam amplecterentur & per illam salvi fierent *Job. III, 16.* & quia fides non est nostrarum virutum, Deus ab æterno decrevit per verbum & Sacramenta fidem operari & accendere in omnibus, qui contumaciter non resistunt. *1. Tim. II, 3. & seqq.* Et hi actus omnes nostro modo concipiendi sunt priores prædestinatione ab æterno facta. Tandem quia Deus ab æterno præviderat, multos ex genere humano divinæ gratiæ obicem esse posituros & in incredulitate sua perseveraturos, ideo decrevit Deus illos salvos facere, quos ab æterno prævidit in Christum credituros & in fide hac morituros: Et hic ultimus reliquosque omnes prærequirens actus, nempe decretum, quo Deus constituit salvos facere eos, quos præscivit in Christum finaliter credituros, *formaliter* est prædestinatio, diciturque prædestinatio juxta beneplacitum voluntatis divinæ facta, id est, prout complacuit Deo, ut ita Dei beneplacitum secundum rem idem sit, quod gratia Dei seu gratuitus Dei favor, quo ab æterno homines peccatores finali fide meritum Christi suum facturos complexus est. Quod nihil aliud est, quam si dicatur, quod Deus ab æterno per gloriosam gratiam suam nos prædestinaverit. *Eph. II, 6. 7.* Ex his (quæ optima *Venerandorum Theologorum ac Præceptorum* nostrorum pace ex eorundem *scriptis* unice



ea fini recensuimus, ut evidenti Theologico exemplo modus recte respondendi ad quæstionem: *quid formaliter sit hoc vel illud?* perciperetur) nunc facile perspici potest, quid formaliter sit prædestinatio, ut apud Orthodoxos Theologos accipitur? Scilicet *prædestinatio est decretum* (En *GENUS PROXIMUM!*) *quo Deus* (En *CAUSAM EFFICIENTEM PHYSICAM & SUBJECTUM!*) *ab aeterno ex mere gratuito favore* (En *CAUSAM IMPULSIVAM INTERNAM* seu *ωεγνησμενν!*) *in Christo* (En *CAUSAM MERITORIAM!*) *constituit in gratia sua laudem & gloria illustrationem* (En *CAUSAM FINALEM EX PARTE DEI!*) *salutem aeternam in tempore conferre* (En *CAUSAM FINALEM EX PARTE NOSTRI!*) *hominibus peccatoribus* (En *CAUSAM MATERIALEM* seu *OBJECTUM!*) *quos ab aeterno prævidit per gratiam suam finali fide meritum Christi suum facturos esse.* (En *CAUSAM IMPULSIVAM EXTERNAM* seu *ωεγναταεπινην.*) Et hoc est perspectam sibi reddere *FORMAM prædestinationis.* Nam dum rectissime respondere novimus ad quæstiones: *Decretum, quod prædestinatio vocatur, a quo sit factum? cuius impulsu? cui? in quo? cuius gratia? ob quid? satis nobis liquet, quænam sit forma prædestinationis, seu quod eodem redit: Quomodo facta sit prædestinatio? Quippe in practicis disciplinis FORMA est ratio sive modus. Cæterum genuinum practicæ disciplinæ cultorem hæc tria ab invicem probe oportet distingvere: Quænam sint omnes & singulæ causæ alicujus operis aut negotii? Unde satis superque constare ac solide ostendî possit, has esse certas & necessarias causas, huncque earundem connexum esse? Et, quomodo ex harum causarum recte ac sufficienter perspectarum locis analyticis nunc solidæ ac scientificæ conclusiones inferri possint? De primo saltem egimus, ut & quoad tenus de secundo: Tertium vero attingere ratio instituti nostri non fert; Pertractavit istud *CL. Dn. Præses* in peculiari dissertatione, cui titulus: *Ætiologia practica.* Tantum abest, ut *πεπαιδωμεν* Theologiæ Cultor in duobus prioribus acquiescat, ut tertio maximum momentum adferri credat ad studium vere practicum ipsiusque oratoriæ sacræ usum. Essent nunc plura exempla adducenda ex *Jure, Philosophia Morali & Civili.* Sed quia chartæ huic labori destinatæ maximam partem alii discursus, sub manibus crescentes, præter spem absumserunt, exacti exempli Juridici loco ponimus solutionem quæsti unici: *quid formaliter sit retrovenditio?* Nempe est*

est pactum adjectum emtioni venditioni, quo emtor promittit redditionem rei si venditor pretium offerat, ut venditor recuperet dominium rei vendita. Hujus solutionis accuratam analysin si quis cultorum practici studii cum singulari laude perspectam sibi reddere gestit, adeat *Magnifici Domini Johannis Schilteri* (magni accuratioris utiliorisque doctrinae Metaphysicae & Analyticae Patroni ac Commendatoris, cui non desinemus precari vitam longam, valetudinem firmam & perpetuam felicitatem) *praxeos analyticae partem tertiam* specimenque ibidem exhibitum attente & cum judicio perlegat relegatque: Et certe spes pulcherrima nos fovet, fore ut incentivum sit ad studia Metaphysica & Analytica rectius solito imposteriorum excolendi, impelletque quae eundem ferè usum Juris (imo omnium disciplinarum ac Facultatum) Cultoribus Doctoribusve adferunt, quem architectis adfert regula & perpendicularum. Quotquot enim hoc lumine adjuti sua studia tractant, si in caecos manu ductores incidant, plus commodi inde capiunt, quam qui sine hoc lumine accuratissimas doctrinas audiunt: illi namque ex iis, quae alii non intelligunt, veritatem judicant; hi neque nota assumunt, neque ignota intelligunt, sed nihil de causis & demonstrationibus prius contemplati, tanquam scirent quid sit accurate docere & discere inque promptu haberent sacrosanctas illas veritatis leges, veluti legislatores id quod placet constituunt, denique progressu studii, instar Euripi cujusdam summam inconstantiam praese ferunt. Ita quaerenti: quid formaliter sit Ethica? responsio solidior vix & ne vix quidem dabitur, quam si dicatur: Est scientia demonstrativa practica Juris naturalis. Sciscitanti quid formaliter sit Politica? dicemus: Est scientia demonstrativa practica de prudentia civili: Is autem formaliter est prudens, h. e. prudentia civili pollens, qui aptus est omnibus omnino Rebus publicis administrandis, tenetque in universum omnium earum naturam, & sive conservandi sive mutandi, sive instituendi rationem. Unde quisquis rem sine affectu aestimat, facile videt, necessariam ac verissimam Politices partem esse scientiam Juris Gentium. De caetero parati sumus in publico conflictu postulantis tot subministrare exempla moralia & politica rationum formalium, per quas ad quaestionem: quid formaliter sit hoc vel illud? responderi possit, quotcunque tandem a *μεταιδευστοις* desiderari poterunt. Nec verò possumus, quin duo sub finem hujus tituli notemus: Unum est, quod non solum non semper postulandae sint integrae definitiones, sed interdum ne omnino quidem exigendae: Ut enim

enim

enim non omnium dantur demonstrationes, ita nec definitiones. Nihil namque Pædiæ Philosophicæ, inque primis Morali & Politicæ, tam est inimicum, quam a male doctis disciplinarum Magistris didicisse, ac si ad quæstionem: quid formaliter sit hoc vel illud? docte ac sufficienter responderi nunquam possit, nisi per definitionem omnia octo habentem respondeatur. His tamen persuasionibus plurimi eruditionem philosophicam omnem metiuntur, & parum abest, quin neglectus cæterorum modorum respondendi & omnem Philosophiam moralem & civilem & omnem pene solidam philosophandi rationem perverterit. Quo de accuratius dispiciendi occasio dabitur in mox sequenti titulo. Alterum est, quod communis, vanissima tamen, persuasio animos multorum ex philosophantium vulgo occupaverit altissimasque ibi egerit radices, ac si tota definitio essentialis dari nequeat, nisi constet duobus conceptibus, qui per duo vocabula possint exprimi, ita ut unus sit conceptus communis seu non reciprocus; alter maxime proprius seu reciprocus. Quæ res quam multis errationibus causam dederit & dare etiamnum possit, nemo *πεπαιδευμένῳ* non videt. Ita e. gr. frustra quis desideraverit conceptum proprium, seu reciprocum prudentiæ, qui unico vocabulo queat exprimi: Nam utut accurata sit hæc essentialis definitio prudentiæ: *Est habitus intellectus deliberativi practicus cum recta ratione*, ita ut per hanc definitionem ad quæstionem: *Quid formaliter sit prudentia?* accuratissime responderi possit, nec tamen ullum vocabulum est in data definitione, quod seorsim sumtum notionem exprimat, quæ maxime propria sit rei definitæ, ut de nulla alia essentialiter prædicari possit. Sed operæ pretium est hac de re dispicere in peculiari hujus dissertationis titulo, quem in sequentibus exhibebimus.

Huic secundæ acceptioni notionis *τῆς* formaliter opponitur omne id quod vel plane non pertinet ad rationem formalem rei, vel pertinet quidem ad rationem formalem rei ut tamen non sit tota formalis ratio, sed solummodo de ratione formali seu pars rationis formalis e. gr. quando animal præcise spectatur ut corpus, sic non spectatur formaliter, quia saltem secundum id quod est de ratione formali animalis consideratur. Rursus si animal spectem ut appetens, ut vivum, non formaliter specto animal, quia vivum & appetens ad rationem formalem animalis non spectant, sed ex iis quæ de ratione formali animalis sunt, fluunt.

TIT. III.

22  
23  
32  
19  
23.36  
46  
36  
33  
33  
22  
17  
42  
41  
47  
49  
42  
48  
46











3  
D O A 6370

ULB Halle 3  
002 927 195  


7A-701

LD17







25

Q. D. B. V.

DISCIPLINARUM THEORETICO-PRACTICARUM

DE

# PRODUCTIONIS: SPECIALITER

## IN RECEPTIS AC SINGULIS SIGNIFICATIO- NIBUS,

INSU INPRIMIS IN DISCIPLI-  
NIS PRACTICIS,

### ARTIS PRIOR,

*Quam*

ACADEMIA FENENSI

PRÆSIDE

## FRANCISCO WELTHEM / P.P.

*ad eruditorum examini sistit*

## FRANCISCO GEORGIUS RÖDER /

FRANCO-GA-HENNEBERGICUS,  
Philosophiæ Candidatus,

PRO RESPONSIS,

*in Auditorio Philosophorum*

*Martii A. O. R. MDC LXXIX.*

F E N Æ,

## AMUELI KREBSII.